



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Daferivm Comitem. Consolatur
Daferium eique opem pollicetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CLVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD DAFERIUM COMITEM.

Consolatur Daferium eique opem pollicetur.

Dilecto filio illustri nobili viro Daferio comiti.

PERFECTIONEM cordis Gaideris principis consanguinei vestri, vestramque in Deum valde gaudemus, obsecrantes, ut qui cœpit in vobis operetur, atque perficiat opus bonum vsque in finem. Tribulationibus, atque angustiis vestris in tantum compatimur, ut vestros dolores manu cogitationis in nostro corde tangamus: sed confidimus in æterni conditoris misericordia, quia in proximo aderit eius auxilium, qui per prophetam admonet dicens: *Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me:* nos etenim in tantum paratos habetis in vestrum adiutorium, ut cum opportunum tempus fuerit, pro fratribus animam ponere non recusemus. Equum quem nobilitas vestra petiit, cum vestros fines attigero, dare me vobis libenter denuntio. Data ut supra.

Psal. 49.

EPISTOLA CLIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Ut sibi indicet locum, vbi simul possint de communis patriæ salute colloqui.

Reuerendissimo & sanctissimo dilectoque confratri, & consiliario nostro Athanasio episcopo sanctæ Neapolitanæ ecclesiæ.

SCIENTES vos procul dubio fideles in omnibus, atque deuotos esse sanctæ sedi apostolicæ, nostræque paternitati totis præcordiis nostris fraternitatem vestram oppido diligimus & amamus: quamobrem pro multiplicibus instantis temporis necessitatibus, atque communibus utilitatibus vobis cum speciali præsentia loqui cupimus: quatenus vestro consilio, communique tractatu ea quæ necessario sunt consideranda, perspicaciterque tractanda, salubriter, Domino annuente, ordinare, statuereque pos-

forte inuoluntate,